



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput tertium. In quo de occasione promotionis Sancti nostri ad
Archiepiscopatum Coloniensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A Wilhelmus Dux. Vxor Maria filia
Imperatoris Ferdinandi.


Philippus Marckanus. Vxor Catha-
rina de Manderscheidt Schleiden.

Ioānes V Wilhelmus Dux Julię,
Cliuię, Montiũ; comes Mar-
canus, & Rauensburg; Dñs in
Rauenstein, &c. sine liberis.

Carolus
Fridericus
sine liberis.

Quatuor
filię eloca-
tę primis
Proceribus
Europę
vade mo-
derna
Principes
possesso-
res Duca-
tum.

Ernestus Marckanus
comes & Schleidanus.



*Qui viret in folijs venit à radicibus humor,
Et patrum in natos abeunt cum sanguine moros.*

Q Væ afferuntur hic à Cæsario de emancipatione seu
dimissione S. ENGELBERTI è scholis, consecutione
Præpositurę primarię, & postulatione ad Episcopatum
Monasteriensẽ, videre licet in Notationibus ad caput
tertium.

Caput tertium.

D *In quo de occasione promotionis Sancti nostri ad Archiepiscopa-
tum Coloniensem.*

CIRCA idem tempus Dominus Adolphus Colonienfis Archiepi-
scopus, à pravis consiliarijs seductus, insuper multa pecunia cor-
ruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxonię, quem ipse ex consen-
su Domini Innocentij Papę, Romanorum Regem creauerat, & Aquif-
grani coronauerat, rupto iureiurando recessit, & aduersarium eius Phi-
lippum

C

lippum Ducem Sueuiæ, filium Friderici Imperatoris eligens, in sede regia consecrauit. Propter quod in ciuitate propria, Colonia scilicet, ex mandato iam dicti Innocentij, à iudicibus ad hoc delegatis citatus, excommunicatus & depositus est. Excommunicati sunt cum eo vniuersi penè nobiles terræ, eo quod ei adhærent, & Philippi partes fouerent. Quanta eodem tempore in Episcopatu Coloniensi perpetrata sint incendia, prouinciæ vastatæ, ecclesiarum bona direpta, nunc Othone, nunc Philippo præualente, paucis non potest explicari. Adolpho successit Bruno Præpositus Bonnenfis, qui à Philippo Rege, qui cum exercitu Episcopatum Coloniensem intrauerat, in castro Wassenberg magis dolo, quàm vi captus, vinctus est & eductus. Philippo autem occiso, & Othone in regno confirmato, ad sedem suam redijt: & non multò post in fata cedens, Theodorico sanctorum Apostolorum Præposito sedem reliquit. Hic præfente Rege Othone in Archiepiscopum est electus, & pallij dignitate eius gratia celerius donatus. Rege verò ab Innocentio in Imperatorem consecrato, propter retractionem terræ Mechtildis, quam Papæ contulerat, tam graues inter eos oriuntur inimicitia, vt Othonem, quem vsque ad hoc tempus paterno affectu fouerat, excommunicaret, eique Fridericum Henrici Imperatoris filium & Regem Siciliæ, aduersarium suscitaret. Ad cuius promotionem Sifrido Moguntinensi Archiepiscopo plenariam potestatem legationis contulit: qui Theodicum Archiepiscopum, eo quod fautor Othonis esset, indignè satis deponens, Adolphum restituit. Neuter tamen illorum Episcopatum recuperare valuit, licet in Curia Romana ab vtroque satis pro illo laboratum sit: sed vtrique trecentæ marcæ ex redditibus Episcopalibus sunt assignatæ. Ecclesiæ verò Coloniensi libera electio remissa est. Hæc inserta sunt ô Lector, vt posteris innotescat, in quali statu Ecclesiam, per longa & varia schismata laceratam & depauperatam Martyr noster factus Episcopus inuenerit, & in quali illam dimiserit.

Notatio ad Caput tertium.

Annales
schismatis
Coloniensis.

Multa hoc Capite notatu digna & historiæ præcipuè patriæ amatori non ingrata, sed quæ chronologica egeant distinctione, traduntur: ideo pauculis præmissis Annales de schismate post Henrici decessum excitato, adusque

SANCTI